

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici
hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent,
vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorvm Evangelicorvm D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in
Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In
Sacrosanctum Euangeliū secundūm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

4. Quid mihi & tibi est mulie? nondum venit hora mea.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

tale testimonium habent hæretici pro suis erroribus, quale
habuit Nathanael contra ea quæ dicebat Philippus: & tamen
pertinacissimè suum iudicium Ecclesiæ toti præferunt. At
bonus & simplex Nathanael à Christo laudatus, ignorantiam
suam corrigi paſſus est, dicente Philippo, *Veni, & vide.* Ille
ut in Messiam credere inciperet, docilem se præbet, vt cun-
que alter ei sonare Scripturæ viderentur. Bonus Christianus
ut à fide se abduci non patiatur, tametsi aliquid in Scripturis
recepit fiduci aduersum appareat, docilem se præbere deberet,
vt veniat ac videat; nempe ad illam lucem quam Christus
posuit ut homines videant, & quibus dixit, *Vos effis lux
mundi: ad Pastores & Doctores quos Christus dedit, vt ad
veritatis agnitionem homines perducere: non ad nouos
sectarios, Euangelij titulum præferentes, & obedientiam
Euangelicam penitus violantes.* Quo in genere multa ad
hunc locum garrit Calvinus, ut exemplo Nathanaeli ad
nouos dogmatistas lectorem alliciat; cuius malis artibus &
technis hoc paruum antidotum opponere operæpretiu duxit.

*Matth. 5.
Ephes. 4.*

IN IOANNIS CAP. II.

4. *Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit
hora mea.*

DE hac Christi response, quæ durius sonare, &
repulsam significare videretur, in Prompt. Catho-
lico latius egimus. Caluini tamen hoc loco di-
punctatio, quam illic non attigimus, exentienda
nunc est. *Insignis* (inquit) *locus.* Cur enim matri præcisè negat,
Mendaciū
Caluini
duplex.
*Domin. 2.
post Epiph.*
quod liberaliuer alijs quibuslibet roties postea concessit? Duplex
hic mendacium. Nec enim quod B. Virgo suggerebat, Chri-
stus præcisè negat, sed adhuc differendum insinuat: nec
quod hic B. Virgo petebat, aliis postea concessisse legitur. Ad
prius quod attinet, si præcisè negasset, non reddidisset cau-
sam cur statim non faceret, dicens, *Nondum venit hora mea.*
Imò hæc dicens, spem faciendi quod petebat matri dedit:
quod illa rectè intelligens, monet ministros vt quodcum-
que dixerit illis Iesus, id faciant. Quare SS. Doctores affirmat
ob matris intercessionem Christum hoc miraculum citius
fecisse: Ambros, serm. 16. in Psal. 118. Cyrill. lib. 2. cap. 1. in
Ioan. & Chrysostomus homilia 21. in hunc locum. Ad poste-
rius quod attinet, aliorum quidem postea precibus sæpe
concessit

concessit Christus quæ ad suam vel suorum salutem flebiliter postulabant. Sed huius generis beneficium, quod nec animæ nec corporis salutem concernebat, sed ad ciuilem quandam honestatem pertinebat, alis postea concessisse non legitur.

Pergit mentiri Caluinus. *Deinde cur simplici repulsa non contentus eam in vulgarem mulierum ordinem cogit, nec iam matris nomine dignatur?* Aliud hoc est mendacium, cum insigni blasphemia coniunctum. Mendacium est quod in vulgarem mulierum ordinem B. Virginē cogit Christus. Blasphemia est, quod Christus matrem suam matris nomine non dignatur. At (inquires) vocat illam mulierē, non matrem. *Quid mihi mumb.*

Et tibi est mulier? Itāne verò, quia sic loquitur Christus, matris eam nomine nō dignatur? Dic obsecro: Christus in cruce pendens, quum B. Virginem virgini commendauit, an matris eam nomine dignatus non est? an pro vera matre illam non habuit? aut matris nomine indignam censem̄bat, quia eodem verbo v̄sus dixit, *Mulier ecce filius tuus?* Quis non videt quum maximū suum erga illam amorem & curiam filiale ostenderet, mulieris tamen vocabulo v̄sum fuisse? An hic quoque illam in ordinē coēgit? An non maximē illam honorauit, & filiale illi honorem atque amorem eo maximē articulo demonstrauit? Impij Manichæi simili arguento v̄si, B. Virginem veram Christi matrem fuisse pernagabant. Increduli Pagani eodem etiam arguento v̄si Christum accusarunt ut parentis suæ cōtemptorem: Impius Caluinus heretico & pagano spiritu plenus, eodem arguento ludens, Christum matrem suam in ordinē coēgisse, nec matris nomine dignatū fuisse obloquitur. At qui quod eam mulierem vocat, nihil quām communem ac receptum tunc loquendi modum sequutus videtur. Cerrum est ex aliquo contemptu non eo v̄sum vocabulo, quum in Cruce eodem v̄sus fuerit, v̄bi summi amoris illustre testimonium dedit. Nunc ex istis mendaciis quid molis substruat Caluinus, expendamus.

Hac Christi voce palam constat denunciari hominibus nē nominis materni honorem superstitionē in Maria euehendo, quæ Dei propria sunt in ipsam transferant. His Caluni mendaciis palam constat denuciari hominibus, ne tam scelerati impostoris nomē euehendo, quæ Dei ministris propria sunt in illū transferant, & pro ministro Euangelico habeant qui Satanæ minister fuit. Ad nominis materni in B. Virgine honore quod attinet, quām illum non superstitionē sed piē ac religiosē pij omnes & orthodoxi euehāt atque extollant, cāmque hoc

Mendaciu
tertiū s̄t
Christum
blasphem
mumb.

August.
tract. in
Ioan. Iua
fin. Mat̄
lib. quast.
Gent. resp.
136.

B. Virgi
nu honor
defendit.

nomine præ cæteris Sanctis omnibus rectissimè venerentur, contra insultas Caluini cauillationes infrà latius ostendimus.

*Ad cap.
Ioan. 7.
ver. 5.*

Concludit tamen hoc loco Caluinus: *Sic ergo matrem Christus alloquitur, ut perpetuum ac cōmūnem seculis omnibus doctrinam tradat, ne immodicus matris honor diuinam suam gloriam obseuret.* Cur huiusmodi verbis matrem suam Christus hīc allocutus fuit, & quam doctrinam in illis verbis tradere voluerit, ex SS. Patrum iudicio alio in loco demonstravimus.

*In Prompr.
Cathol.
Dom. 2.
post Epi-
phanian.
Hes. 79.*

Quibus etiam addimus rectè sensisse Epiphanium, qui affirmat matrem Domini mulierem à Domino vocatam, quia consulere & prouidere futuris voluit. Fuerunt enim quidam postea qui B. Virginem ut deam venerati sunt, eique sacrificauerunt, qui certè hoc verbo *Mulier conuincuntur*, quod substantiæ & naturæ creatæ eam fuisse probat, sicut alij Sancti sunt. An fortè à Catholicis hodie B. Virginis immodicus aliquis honor impeditur, qui diuinam Christi gloriam obscureat aut huic quoque sæculo, Christi illa doctrina necessaria est.

*Caluini
accusatio
circa titu-
lus B. Vir-
ginis.*

Omnino ita censet Caluinus. Subiungit enim. Porro quam necessaria hac admonitio fuerit, ex crassis fœdisque superfluitib[us] que postea sequuntur sunt, plus faiis notum est. Facta est enim Maria Regina cœli, spes, vita, & mundi salus. Denique progressus est vesanus furor, ut Christi propemodum nudati populi eam ornarent. Quimque has execrabilis in filium Dei blasphemias damnamus, maligni & inuidi vocamur à Papistis, immo improbè calumniantur, S. virginis honorem hostiliter à nobis impugnari. Quasi vero non habeat quantum illi honoris debetur nisi dea sit: aut hoc illi sit honorificum, sacrilegis titulis ornatam in Christi locum subrogari. Atrocem ergo illi Maria iniuriam faciunt, quando, ut mentitis eam laudibus deformant, Deo eripiunt quod suum est. Hæc tota est hoc loco Caluini accusatio, & contra Catholicas & orthodoxas voces speciosa declamatio: quæ tota vel in crassa Scripturatum ignorantia fundatur, vel affectatæ malevolentiae oratio est. Totus accusationis nervus ac vis vniuersa (quam multis verbis amplificatur) in eo consistit, quod Beata virgo à Catholicis predicitur *Regina cœli, spes, vita, & mundi salus.* Hoc postremum ubi vel apud quos legerit, nescio. Ab Ecclesia certe in publicis officiis ac precibus suis, *Salus mundi*, nonquam (quod sciām) praedicatur. Cæterū si spes, vita, ac salus nostra (quod penè æqualeat) hæc beatissima virgo absque manifesta Dei aut Christi iniuria vocari non potest, corrigat Caluinus illas Scripturas quæ personis multo inferioribus eosdem titulos ascribit. Corrigat

*B. Virginis
tituli ex
Scriptura-
rum ana-
logia pro-
bantur.*

rigat Paulum dicentem Timotheo Episcopo, *Hæc faciens, te ipsum & altos saluos facies.* Corrigat Iacobum dicentem: *Qui conuersti fecerit peccatorem à viis suis malis, saluabit animam eius à morte.* Corrigat Ioannem dicentem: *Qui orat pro fratre non peccante ad mortem, dabit ei vitam.* Denique ipsum Christum homo audax corrigat, dicentem in Euangelio: *Qui corripit fratrem suum, (audientem & obsequetem) lucratur eum.* Si enim qui alium saluum fecit, salus eius dici potest; & qui alteri vitam dedit, vita eius vocari potest; nec huiusmodi locutiones refugit Scriptura, quia ad vitam & salutem partiales & subordinatae causæ sunt; quid peccat Ecclesia, quæ ob similes effectus similes titulos beatissimæ virginis attribuit? Quod enim prædicando veritatē, corripiendo peccantes, orando pro peccatoribus, nos in hac vita facimus; id multo uberioris beatiss. virgo suis apud Deum precibus & intercessiōnibus præstat: nisi forte falsum erit, beatiss. virginem orantem pro peccatore non peccante ad mortem, dare ei vitam, quod Ecclesia prædicat; & verum erit, quemlibet nostrum orantem pro fratre nō peccante ad mortem, dare ei vitam, quod Ioannes affirmit; aut plus valeat apud Deum peccatoris pro peccatore, quam beatissimæ virginis in cælo regnantis pro peccatore intercessio. Denique discere Caluinus debet illa attributa seu epitheta, quæ soli Deo conueniunt, nulli sane creaturæ vlo in sensu attribui posse, qualia illa sunt: Omnipotens, æternus, infinitus, Creator, finis & principium rerum, quedam Dominus vitæ & mortis: vel etiam alia Christi propria, Mundus, Dei di redemptor, iustificator seu iustitia, sanctificatio, & redemptio nostra: alia vero epitheta & attributa quæ soli Deo per excellentiam conueniunt, Sanctis vero & iustis etiam in hac vita per participationem & analogicè conuenire possunt, ut bonum esse, iustum, sanctum, sapientem, patrem, magistrum, lucem, petram, fundamentum, sine villa Dei aut Christi iniuria Sanctis attribui; imò cum certa Dei offensa illis pertinat, eiter negari, qui amicos suos honorati vult, despici non vult; eorumque seu iniuriam seu honorem sibi accepimus fert; vt illæ voices in Scriptura nos docent. *Non te spreuerunt, sed me.* In Propterea, Qui vos audit, me audit. Si sermonem meum seruauerint, & verbum seruabunt. Nolunt audire te, quia nolunt audire me: & multa huiusmodi. Sed plura hac dere olim disputauimus, quæ videre lector poterit. Cur etiam Regina cœli ab orthodoxis meritissimè vocetur, eodem in opere demonstrauimus. Ex quibus omnibus perspicuum euadit, Caluinum cum suis Assumpti.

optimo iure à nobis non malignos tantum & inuidos, sed impios & sacrilegos vocari, qui sub specie honoris Christi, Sanctos eius debito honore priuant & in ordinem cogunt: sicuti veteres hæretici sub specie zeli erga Dei Patris honorem filio Dei detraxerunt, & in creaturarum ordinem redegerunt quod & hodie in Transilvania ter impius ille Frāciscus David molitus, sub specie extollēdā misericordiæ vnius Dei, ipsum Christum Salvatorem esse mundi negauit, & eo nomine capite damnatus, in carcere insanus obiit. Huc quippe tandem recidunt, qui primum Dei in terris ministros, postea in celo Sanctos, tandem Christum ipsum sub specie honoris diuinum primū in honore spoliant, mox in ordinem cogunt, tandem penitus despiciunt atque contemnunt. Catholici B. virginem neque deam faciunt, sed vt Dei matrē inuocant, vt eius precibus Deo cōmendentur; nec sacrilegis titulis ornata in Christi locum subrogant (sunt hæc duo foeda Caluini mendacia) veris titulis etiam infra tantæ Macris dignitatem ornata, Christo Domino ita postponunt, vt non nisi per supplices Christum preces aliquid ab illa postulent. Sacrilegi vero hæretici sunt, atque imprimis Caluinus, qui eam in vulgaria mulierum ordinem à Christo cogi affirmant, & hoc exemplum perpetuum esse ac omnibus seculis communem doctrinam pronunciant, vt hodie vsque non nisi vulgatis muliercula habenda sit. Hæc Caluini hoc loco factilega audacia est, qui medium tenere nesciens, ne deam faciat Christi matrem, pro vulgari muliercula habendam censet. Dum vitant stulti virtutia, in contraria curunt.

Caluini fædamenta

Caluini subrogant (sunt hæc duo foeda Caluini mendacia) veris titulis etiam infra tantæ Macris dignitatem ornata, Christo Domino ita postponunt, vt non nisi per supplices Christum preces aliquid ab illa postulent. Sacrilegi vero hæretici sunt, atque imprimis Caluinus, qui eam in vulgaria mulierum ordinem à Christo cogi affirmant, & hoc exemplum perpetuum esse ac omnibus seculis communem doctrinam pronunciant, vt hodie vsque non nisi vulgatis muliercula habenda sit. Hæc Caluini hoc loco factilega audacia est, qui medium tenere nesciens, ne deam faciat Christi matrem, pro vulgari muliercula habendam censet. Dum vitant stulti virtutia, in contraria curunt.

18. Quid signum ostendis nobis quia hæc facis?

In Com Aptat h̄ic occasionem Caluinus Catholicorum necessariam quandam pietatem acriter taxandi. Sed in eodem capitat, capiuntur ipse. Testimonium (inquit) aliquod dini- ment. ad n̄e virtutis habere Iudei volunt: interea nihil admittunt quid huic locū. non hominum modulo respondeat. Sic hodie Papistæ miracula flagitant, non quodd locum daturi sint Dei potentia. Nam illuxum est, homines præferre Deo, nec unguem unum ab eo desisterere, quod usu & consuetudine receptum habent. Sed ne absque ratione videantur Deo esse rebelles, colorem hunc prætexunt sua pertinacia. Hæc ille. Sed huic impostori respondendum est: Si nos Iudeis similes simus, qui à nouis magistris miracula petimus; Caluinum Christo similem esse debere, à quo ista pe- tun

Caluini compara-
tio absurdissima.